

I. De A M B R A G R Y S E A. *Auctore Casparo Neumanno, M. D. Chemiae Professor. Berolin. & R. S. S. [Vide PART I. N° 433.]*

## P A R S II.

**C**eleberrimæ Societati Regiæ adhuc in recenti erit memoria, quod in Transactionibus Vestrīs Philosophicis duæ de hac materia singulares ex America transmissæ Relationes, altera 1724, sub N° 385, & altera 1725, sub N° 387 existent, quarum prior à D<sup>no</sup> Boylston, posterior vero a D<sup>no</sup> Paulo Dudley, dignissimo illustris hujus Societatis membro, communicata est, nec minus, quod utrique opinionem summariter antedictam statuant & defendant. Jure meritoque equidem veneror ac laudo virorum horum sinceram intentiōnem, impensam operam, atque communicationem, & optandum esset, ut plures ejusmodi indagatores & scrutatores ignotarum adhuc, incertarumque ad Rem medicam spectantium rerum naturalium reperientur, quærendo enim & scrutando varia ubique in lucem producta sunt: Interim, cum propter eundem hunc finem totæ Eruditiorum Societates in orbe fundatæ sint, ut plures quam unus, duo vel tres in variis tam naturalibus quam artificialibus commodo  
D d d publico

publico inservientibus rebus & intentionibus simul  
 quærere, scrutari, perpendere, laborare, & ad hanc  
 vel illam certitudinem adspirare debeant ; ego vero  
 de his duabus Relationibus, quatenus Ambra gryfea  
*pro vero Animali, seu in Ceto generato Concreto* ha-  
 betur, apertum dubium foveam ; spero, me non con-  
 tra fundationem & intentionem Societatis impingere,  
 si, tanquam tenue illius membrum causas mei dubii  
 una cum antithesi mea itidem transmitto, eaque per-  
 spicacissimo vestro corpori pro ulteriori judicio re-  
 linquo. Minime autem hæc animo meo inhabitat  
 opinio, ut antedictis duobus Clarissimis Viris nudè  
 tantum contradicere vellem, sed solummodo ut ad-  
 juvem hanc scrutationem & indagationem, quatenus  
 occasio & viæ mihi suppetunt, vel prout ratione mea-  
 rum circumstantiarum & studiorum de iis participare  
 possum, sub quo principaliter *indagationem & per-*  
*scrutationem, quæ fit adminiculo chymia, intellectum*  
 volo. Metallarius e. gr. querit mineralas, lapides, sa-  
 lia, bitumina, terras & similia : Chymicus Metal-  
 lurgus examinat, separat, purificat, & postea prius  
 declarat, quodvis separatim & specificè, quid reverà  
 & demonstrabiliter sint, probat primùm, quod hæ-  
 res vera mineralia & non fortè sub terram olim de-  
 fossa & ad alia Naturæ Regna pertinentia concreta  
 sint, quod Crystallus mineralis, quæ figuram salis re-  
 præsentat, tamen non sit sal, nec salia sint lapides  
 crystallini, & quod ii pyritæ, qui auri purissimi ad-  
 instar fulgent, seu mineralia flavè-nitentia concre-  
 menta (vulgò Drusen) non sint verum aurum. Hor-  
 tulanus quærit, scrutationeque persequitur varios pul-  
 chros amoenosque flores, ac sapidos fructus plantare,  
 colere,

colere, sæpe quoque hortum ad externum modò aspectum condecorare : Ipse Botanicus quotidiè adhuc operam navat, gramina multivaria ignota, aliasque plantas magis magisque cognoscendi, detegit nova genera & species, suumque folummodò, qua Botanicus, quantum potest, efficit officium ; Chymicus contra indagat circa novas hasce plantas, quæ realia & activa principia contineant, an sint medicinales, edules, purgantes vel adstringentes, causticæ vel narcoticæ, salutares vel planè venenosæ, an oleosas vel salinas, resinosas vel mucilaginosas aut alias partes, & in qua proportione eas contineant ? Qui Grewi & Malpighij gustum habent, illarum plantarum modum vegetationis, naturam glandularum, humorum, eorumque circulationem ac subtilem physicum naturalem statum (quasi physiologicum) scrutantur, aliud è contra contemplatur earum partes genitales, ovarium, vasa spermatica, propagativa, copulativa & multiplicativa, an hermaphroditicè vel aliter existant ? In Regno quoque Animali venator & Piscator munere suo funguntur, vel etiam Anatomicus, quantum ad suam indagationem pertinere potest, sic & Chymicus suum rursus facit officium, quod nec Anatomicus, nec Venator, neque Piscator debuit vel potuit perficere : Nihilo secius circa varias alias res variæ personæ, eruditi, artifices, agricultores & opifices suum sæpè contribuunt, ita ut indagatio ac per-scrutatio unius ejusdemque rei à permultis diversis personis simul suscipi, verificari, & in suo genere ad finem perduci possit. Omnia hæc idcirco tantum præliminariter adduxi, quo mentem meam explicem, quod indagationis Naturæ Ambræ gryseæ, pro mea

parte, in specie quatenus Chymicus, sollicitus fuerim, quamvis etiam præter indagationem chymicam, in ante memoratis duabus Relationibus diversæ mihi occurrant circumstantiæ, quæ dubium meum notabiliter adaugent, quæque, ut existimo, fortè etiam aliis personis, si absque præjudicio eas consideraverint, in mentem venient.

Inutile censeo, utrasque impressas relationes verbotenus hic repetere, sed principaliora tantum membra cum quibusdam circumstantiis, præcipue quæ D. Dudley, pag. 267, & 268 sequentibus verbis enarrat adducam, ait autem,

1. Ambra gryfea tantum & unicè in illis Balænis reperitur, quæ sperma Ceti largiuntur, &
2. Consistit in globis seu rotundis frustis diversæ magnitudinis, circiter 3 ad 12 usque pollices in diametro, quivis globus ponderat  $1\frac{1}{2}$  usque ad 22 libras.
3. Jacent hi, absque adhæsione, in magno ovali facco vel *vesica*, quæ 3, vel 4 pedes longitudine, latitudine vero 2, vel 3 pedes exsuperat, ut plurimum *figuram vesicæ bubulae* sistit, exceptò, quod extremitates paulo magis acuminatae sint, & ferè figuram longi follis, quo fabri ferrarij utuntur, habeant ; adhæc
4. *Fistula* quadam prædicti sint, quæ tam *in penem*, quam etiam secundum longitudinem per penem descendat.
5. Porro *ductu quodam*, seu canali, qui ex altera facci extremitate in ipsum faccum dehiscat, & se aperiat, ac

6. *A regionibus renum proveniat.*
7. Hic Saccus jacet rectâ super testiculis, qui longitudine pedem unum adæquant, & ad radicem penis secundum longitudinem situs est, 4. vel 5 circiter pedes sub umbilico, atque 3, vel 4 pedes super ano.
8. Plerumque impletus est liquore obscurè flavo, qualis est aurantiorum, qui *tenuior apparet oleo, gravisque odoris, & quidem gravioris*, interim tamen *ejusdem indolis*, prout globi Ambræ grysea olent, qui quoque in eo, absque adhæsione, circumnat ant.
9. Internum vesicæ latus profundè coloratum est *eo ipso colore*, quo liquor, quod etiam *in canali penis* itidem sic reperitur.
10. Globi satis duri ac solidi esse videntur, quamdiu Cetus vivit, siquidem persæpè obvenit, dum saccus aperitur,
11. Quod concavi quidam cortices in eo jaceant, ejusdem substantiæ & consistentiæ ac ipsi globi, à quibus decorticati, vel ut festucæ detrusi sunt.
12. Quique ex meris ejusmodi *distinctis corticibus* vel stratis, ubi aliis super alium semper situs est, *ceparum ad instar*, consistere videntur.
13. Numerum globorum quod concernit, iste in una vesica nunquam quaternarium superat, referente D<sup>o</sup> Atkins, qui tempore quodam unicum tantum 21 libras ponderantem reperiisse affirmat, atque hunc *omnium maximum fuisse*, quem hanc tenus vidisset.

Porro in hac relatione perhibetur, quod

14. Illi, qui capturæ Cetorum operam dant, observaverint, veteres *tantum & permagnos*, solummodoque sexus masculini Cetos, Ambram in se continere? simul tamen D<sup>r</sup> Atkins refert,
15. Se nunquam vidisse, nec pro certo audivisse, Balenam fœminini sexus ex eo genere, quod sperma Ceti largitur, captam fuisse, quoad ipse vixerit: sexum quippe fœmininum hujus speciei *longe esse timidiorem* quam masculinum, unde earum capture impossibilis sit, nisi forte (secundâ fortunâ) eas dormientes ex improviso supervenerint, vel ipsæ à catulis suis detineantur; hoc interea pro certo affirmat, cymbas illis vigilantibus appropinquare non posse, dum maximo-perè timidi & pavidi sint. Addit his D<sup>r</sup> Atkins,
16. Quod in respectu unius talis piscis, hosce globos continentis, facile duo eorum reperiantur, *qui nullos*, vel nihil amplius, quam ante memoratum liquorem obscurè aurantium in fassis suis haberent, denique &
17. Gloriatur quidem Ds. Dudley in sua Relatione mox in principio, p. 266, post tam diuturnam de Ambra grysea incertitudinem, tandem cum tempore, tanquam veritatis filia, detectum esse, quod occultum hoc naturæ nihil aliud, quam *productio animalis* fit, ac in corpore istius Balenæ, quæ Sperma Ceti suppeditat, excludatur vel generetur, sicut Moschus, &c. & p. 269, vel circa finem suæ Relationis ait: Spero, fore ut Societas tenui meæ regioni honorem *detectionis*, vel ad minimum *certificationis* originis & naturæ Ambræ grysea attributura sit; nihilo tamen minus,

18. Ipse brevi ante fatetur, quod semetipsum concer-  
nat, se propriam opinionem de hac re proferre  
non audere, sed cum eo contentum esse, quod  
ipsi, tanquam verum *relatum sit*: Quæ vero  
relatio

19. Maxima ex parte à D<sup>a</sup> Atkins, per 10, vel 12  
annos *capturæ Ceti* incumbente, & à quibus-  
dām aliis, circa hunc tractum, degentibus vi-  
ris, ob capturam Cetorum famosis, impetrata fuit.

In Relatione D. Boylston præcipua summa, p. 193,  
consistit in sequentibus.

(a) Ambram gryseam in nullo alio Ceto, nisi in eo,  
qui Sperma Ceti suppeditat, & quidem masculo,  
inveniri, atque in uno scilicet *ad 20 plus minus*  
libras.

(b) *Ex centum ejusmodi pisibus vix* in uno aliquid  
Ambræ repertum esse.

(c) Eam in cystide *vel sacco* quodam reperiri.

(d) Quod hunc saccum interdum *vacuum*, interim  
tamen integrum offendenterint.

(e) Quod hic saccus nunquam in alio loco, nisi circa  
*partes genitales*, occurrat.

(f) Ambram hanc gryseam, dum primum eximitur,  
humidam & per quam penetrantis, adversi tamen &  
offendentis odoris esse.

(g) An vero Ambra grysea naturaliter vel accidenta-  
liter in hoc pisce producatur? se eruditis ad deter-  
minandum relinquere; &

(h) Tandem, quod etiam suam Relationem à *pis-  
catoribus tantum, vel Ceti captatoribus accep-  
tit.*

Patet ergo ex omnibus hisce adductis.

- (1. Relationes duas memoratas in quibusdam partibus convenire.
- (2. In quibusdam vero etiam discrepare, quæ tamen differentia quæstioni principaliori minimè contrariatur.

(A. Utræque in his convenientiunt : (1.) quod memorata Ambra tantum in cetis masculis ejus speciei, quæ Sperma Ceti suppeditat, reperiatur, (2.) quod hæc Ambra in cystide seu vesica offendatur, (3.) quod frusta, 20, 21, vel 22 libras pondere æquantia occurant, (4.) quod hæc cystis proximè ad partes piscis genitales sita sit, (5.) quod Ambra recens exeruta, humida & perquam penetrantis, adversi tamen vel tetri odoris sit, denique, (6.) quod has suas relationes, novasque detectiones, pisicatoribus, & iis, qui capturæ Cetorum incumbunt, debeant.

(B. Differunt autem in sequentibus circumstantiis

1. Ds. Dudley refert, hunc saccum vel cystidem *quavis extremitate possidere canalem* vel ductum, alterum à renibus prodeuntem ductum in parte superiori facci, alterum in parte inferiori in & per penem transfeuntem & exeuntein canalem ; e contra D. Boylston, hanc cystidem nec introitum nec exitum habere, ait.
2. Ds. Dudley refert, licet etiam in quibusdam piscibus nullam Ambram invenerint, semper tamen *liquorem* istum, de quo sub N° 8 mentionem fecimus, adfuisse ; D. Boylston verò, hunc saccum interdum planè vacuum repertum esse, affirmat.
3. Ds. Dudley memorat, si in uno pisce Ambram reperissent, in duobus contrà ferè nihil ejus extitisse ; sed D. Boylston adducit, quod *inter centum* Cetos

vix unus occurrat, qui aliquid hujus Ambræ possideat.

Interim tres hæ differentiæ facilè conciliari possunt, ad (1<sup>mam</sup>) scilicet quod attinet, ubi in Relatione D. Boyltoni occurrit, saccum nec introitum nec exitum habere, illud tantum orietur à negligentia illius pescatoris, qui hæc ipsi retulit, & singula non adeo accurate, ut D<sup>n</sup> Atkinſij pescator fecit, obſervavit, quomodo enim foccus mox repletus mox vacuus offendi posset, si nec introitu nec exitu præditus effet : ad (2<sup>dam</sup>) quod foccus interdum vacuus repertus fuerit, hoc (a) vel tantum de globis, vel (b) etiam de liquore intelligi potest, interim vero relationi D<sup>n</sup> Dudley planè non adversatur, dum utrumque naturale esse, vel sicutunc temporis contingere valet ; Tandem (3<sup>ta</sup>) quoque differentia nullam involvit difficultatem, sed utræque Relationes concordant, quod tantum in quibusdam, nullatenus verò in omnibus Cetis masculis putatitia Ambra inveniatur, &, prout conjicio, quivis referens modò numerum certum pro incerto posuit.

Ad utrasque has relationes, adductas circumstan-  
tias, & *putatitiam novam detectionem originis na-*  
*turæque Ambræ gryſea*, *quod ea scilicet in memo-*  
*ratis Cetis generetur, vel quod Ambra gryſea*  
*productum animale fit, paucis regero :* rem hanc fe-  
ita planè non habere, sed hoc pro Ambra gryſea  
æſtimatum concrementum nullatenus veram *Ambra*,  
sed longe aliud, & diversum naturale quid  
effe. In totum assentior opinioni D<sup>n</sup> Prince, id quod  
& omnes viri judiciſi facient, qui generalem tan-  
tummodò conceptum de præcipuis Scientiæ Anatomicae  
partibus possident, aut tantum sciunt, ubi &  
quomodo partes principales in magnis belluis sitæ  
Eee

sint.

sint. Opinio hæc exstat in Relatione D<sup>n</sup>i Dudley, p. 269, verbis sequentibus : Reverendus D<sup>n</sup> Prince in Boston, Ecclesiastes perquam amatus, meus intimus ac familiaris in urbe vicina, qui præcedente Relationem à D<sup>n</sup> Atkins accipiebat, antedictum faciem seu cystidem, *vesicam urinariam*, inibique detentos globos Ambræ grysea, certum concretum esse opinatur, quod ex pingui & olida substantia prædicti, & in hoc facco contenti, liquoris formaretur. Ego pro mea parte declaro, quod (1.) Sic dicta cystis nihil aliud, quam *vesica urinaria Ceti*, (2.) putatitia Ambra grysea, quæ in eâ reperitur, nihil aliud, quam *calculus vesicæ*, & (3.) iste penetranter olens in sic appellato facco contentus liquor, nihil aliud, quam *urina Ceti* sit. Considerentur quæso mea superius extracta notata, ubi sub N° 3 exstat, faccum hunc, seu vesicam longitudine 3, vel 4 pedes, latitudine 2, vel 3 pedes adæquare, plerumque figuram *vesicæ bubulae* repræsentare, & ferè formam longi follis, quo fabri ferrarii utuntur, habere, annon hoc est descriptio vesicæ urinariae? præcipue cum sub N° 4, 5, 6, 7, adhuc reliqua requisita, & debitus naturalis situs prolixè describuntur, quomodo cum pene & renibus connectatur, sub umbilico super testiculos ad radicem penis collocatus; porro sub N° 8, quomodo penetrante & graviter oriente liquore præditus sit, quem ordinariò, nulla quoque putatitia Ambra præsente, in vesica hac reperirent, an hic liquor quicquam aliud, quam urina Ceti est? Et positò, si D<sup>n</sup> Boylston hoc, quod ex eo sub lit. (d) extraxi, ita intellectum vellet, quod interdum etiam vesica vacua occurrerit (quanquam circa hoc mentem suam minus accuratè explicet, sed ego :

ego potius credam, quod per verbum vacuum, non vacuum ab urina, verum tantum à calculis intellexerit) tum itidem non planè impossibile aut innaturale quid esset, siquidem aliquoties contingere potuisse, ut Cetus eo tempore necatus sit, cum brevi antea urinam emisit, vel naturali modo hunc liquorrem ejecit. Urina ulterius sub N° 9, confirmatur, dum ibi asseritur, quod idem liquor (nempe Urina) etiam in canali penis seu urethra Ceti (uti omnes urinæ) reperiatur. Quis denique hinc dubitaret, quod sic dicti recenter reperti, & pro Ambra grysea habitu globi non meri calculi vesicæ Ceti sint? Perpendamus quæso ea attentius, quæ sub N° 10, 11, 12, 13, & 14 extraxi, & consideremus (a) quod hi globi ejusdem odoris sint ac liquor. atque (prout D<sup>n</sup> Prince prohibet) de pingui substantia liquoris, item, quæ D<sup>n</sup> Boylston sub lit. (f) refert, quod penetrantis & adversi seu offendentis odoris, similiter, globi ex meris distinctis corticibus & stratis, cependrum ad instar formati sint, ubi alter alteri semper superaccrescit, generatur & induratur, itidem, quod facile secundum hunc situm decorticentur & in festucas dirimantur, quæro: annon hæc omnia, sint naturales communesque circumstantiæ omnium tam vesicæ urinæ, quam fellis, nec non aliorum calculorum sive lapidum animalium? Et quare proinde ejusmodi calculus pro Ambra grysea? Vesica urinaria pro singulari cystide? Et urina pro singulari liquore existimari deberet? Res hæc indè ulterius confirmatur, quia sub N° 14 legitur: Cetorum pisces observasse, quod *solum adulti & grandes Ceti Ambram gryseam* (ego vero calculum dico) contineant, secundò, quæ sub lit. (b) ex D<sup>n</sup> Boylston

ston adducuntur, *inter centum ejusmodi masculos Cetos vix unum* reperiri, in quo aliquid Ambræ adsit (ego vero puto, qui calculo affectus sit) ; hæ duæ circumstantiae iterum sunt planè naturales, & tam bestiis quam hominibus communes 1.) quod seniores citius quam juniores calculo infestentur, 2.) quod, sicuti non omnes homines, sed ex centum eorum vix unus calculo laborat, hoc itidem quoque plane naturale quid in animalibus irrationalibus esse possit. Porro etiam id cum aliis lapidibus animalibus concordat, quod non semper tantum numero unus, sed sæpè quoque 2, 3, 4. imo plures in vesica occurrant, quod à continua in urina agitatione commodè figuram rotundam nancisci possint, quamquam observaverim, figuram calculorum, nec non lapidum bezoardicorum sæpè, & ut plurimum à primo ac interiori frustulo, cui prima crusta vel cortex sese apponit, oriri, an scilicet frustulum sit rotundum, oblongum vel angulosum ; alio tempore figura calculorum sit à majori aut minori spatio & motu : Nam si numero sunt plures, ut vesicæ spatium occupent, vel non satis liberè circumnatare, seque se moveare possint, tum raro verè rotundi evenient, sed plerumque inæquales & informes apparetur ; sic quoque facile in festucas dehiscere queunt, si plures præsentes sunt, & à motu animalis una aut altera collisio horum lapidum in vesica contingit. Denique nec hæc circumstantia dubium me reddit, dum referunt, *masculos tantum Cetos* hos continere globos, quoniam esse potest, ut in hac animalium specie sive soli masculi illo morbo aut calculo laborent, sive, quia de foemellis Cetis, circa hanc rem, nondum sufficiens experientia adest, idque tantò magis

magis (1. dum ad N° 15 ferè *impossibile* est, *færmellas, seu vaccas assequi*, & confequenter longè pauciores Ceti foemellæ, imo fortè *raro quædam* eam capiuntur, & (2. quia inter ipsos masculi generis pisces, secundum ante adductam D<sup>o</sup> Boylstoni Observationem, è *numero centenario vix unus* reperitur, qui hoc calculo laboret.

Ex adverso illa ipsa, ab utrisque Dominis referentibus prolatâ circumstantia, dum eorum Ambra grysea, quæ mihi calculus Ceti est, *non etiam in omnibus masculis Cetis*, sed *vix* in uno horum ex centum, adhæc *tantum in senioribus & ætate grandioribus* reperitur, tanto magis ad propriam ipsorum contradictionem inservit, quod *non sit ejusmodi recrementum, quale Moschus, Castoreum, &c.* est, simul verò ad eò majorem mei confirmationem, quod nihil aliud sit, *quam calculus*: si enim

(1.) Eset *Recrementum naturæ*, vel putatitia ipsorum Ambra grysea, isti in vesica reperti adversè olentes globi, Cetis masculis ejusmodi innatum quid, & vesica illa, cystis singularis extra vesicam urinariam, & concretum istud, quod in ea reperitur, similiter tale aliquid naturale, prout est Moschus in animali moschifero, Zibethum in Cato Zibethino, & Castoreum in castore, quippe quibus Ds. Dudley hunc ex statu morbofo generatum calculum assimilare contendit, tum *concretum hoc revera etiam in omnibus iis masculis Cetis*, qui *Sperma Ceti suppeditant, sicut Castoreum in omnibus castoribus, & Moschus in omnibus capris moschiferis, &c. adesse deberet*, nec tum in vesica urinaria occurret, & *absolutè omnes* (non vero unus ex centum,

tum, vel tantum seniores) ejusmodi Ceti globos tales *semper & inevitabiliter haberent.*

(2.) Si concretum illud his piscibus esset innatum & naturale in statu sano, ut Castoreum, Moschus, Zibethum & similia, tum non tantum iij Ceti, qui in America Sperma Ceti largiuntur, sed & illi id possidere deberent, *qui in Europa in mari Hispanico, Gallico & Britannico, præcipue in Oceano Septentrionali capiuntur, verum nemo in his regionibus quicquam ejus vidit, quamquam de vesica urinaria eorum, de urina ipsa, vel quid in statu morbo in vesica Ceti appareat, nullus fortasse sollicitus fuit.*

(3.) D<sup>ns</sup> Dudley in sua Relatione ait: Maximum Ambræ globum, quem unquam viderit, ponderasse 21 ad 22 libras, qui pro descripta magnitudine vesicæ urinariæ jam *magnus satis calculus* est, sed jam quæro: undenam tanta Ambræ gryseæ frusta prodierunt, quæ planè non rotunda nec certæ figuræ fuerunt, simul verò ad 6 pedes magnitudine, & ad 182 libras gravitate ascenderunt, vel adhuc plus ponderaverunt, quæque non rotunda, nec ceperum adinstar corticata, crustata, leviter friabilia, nec coloris Aurantij, multò minus adverfi aut ingratii odoris, minime verò foetoris, sed planè informia, firmiter compacta, coloris grysei, subaquili, albantis, & suaviter olentia fuere? Quæro inquam; *undè hæc frusta proveniunt, quæ pondus & magnitudinem frustorum ab illis dictorum decies, vicies & magis superant, quorum nec maxima optimè adultorum & grandium Cetorum descripta cystis nunquam satis capax est, nec unquam capere potest?*

(4.) Ulterius quæro : quò modò hæc Ambra grysea an oras littoris, vel ad terram appellere posset ? Ex vivis, impossibile est ut provenerit, quia cystis tantum exitum suum per penem habet, & profectò *parvula frusta* transgrederentur, si per hunc canalem exire deberent, *quomodò autem tanta Ambra frusta perreperent*, quanta haud raro reperta fuerunt ? Si quis verò obtendere velleret frusta talia ex Cetis demortuis provenire, facile regerere possem, qua ratione tum ex vesica egrederentur ? Præcipue cum ejusmodi vesicæ membranofæ & satis tenacis texturæ sint, ita ut vix, secundum rationem, aliquis suspicari queat, quod vesica post mortem tam facile disrumpere, vel his liberè circumnatantibus globis exitum concedere possit ; ut ego opinor, Ambra nonnunquam cum ipsa cystide circumnatans reperiatur, si non multoties, tamen aliquoties, quale quid vero à nemine unquam nec auditum, nec visum, nec experientia compertum est.

(5.) Quomodo rostra avium, unguilæ, conchæ, spinæ piscium, & alia peregrina, quæ interdum in Ambra grysea reperiuntur, per renes & ureteres in vesicam urinariam, vel potius in putatitiam Ambra cystidem transire & pervenire possent ?

(6.) Denique, ut ulteriora argumenta contraria præteream, unicum tantum adhuc in medium adducam, quod verò ceu *argumentum primarium*, & tanquam inconvincibile meum ac indisputabile *principium regulativum chymico-physicum* in omnibus rebus naturalibus, & sic etiam in Ambra grysea, ut pote materiâ quæstionis, tanquam ultimus judex considerari debet, quod me nunquam huc usque fellit, nec revera fallere potest, si modo cum consideratione,

fideratione, judicio, circumspectione, & grano sa-  
tis sub decenti ordine adhibetur, quodque solum  
me movit, ut in hisce pagellis proponerem, Ambra  
gryseam minimè productum vel eductum ani-  
male esse, quinimo, quod *unicè ac solum satis  
sufficiens* est, licet etiam nihil de adductis hactenus  
opinionibus dixisse, vel id quod dixi, tanquam  
superfluum consideretur, *de hac re sententiam fer-  
rendi, & ad minimum veritatem, quod Ambra non  
sit animale, declarandi.*

Notum est, vel quivis, qui hæc adhuc ignorat, aut  
fortè in dubium vocare auderet, ipse probare potest,  
quod non tantum Castoreum, Moschus & Zibethum,  
sed *omnia quoque animalia eorumque partes*, ap-  
pellentur quoquo modo velint, quinimo quicquid  
etiam sint, in Analyse chymica se ut animalia ex-  
hibere debeat, sive sint animalia integra, sive eo-  
rum partes, fera aut domestica, aves vel pisces, ver-  
mes vel alia insecta, sive sit animale alimentosum,  
sive medicamentosum, sive planè venenosum, degat  
super terram, in aëre, in aqua, subter terram, in  
mari vel in lacu, in ædibus vel in deserto, in Euro-  
pa vel America, vel ubi ubi velit, partes quoque  
sint sive siccae & solidæ, sive viscosæ, pingues, a-  
quosæ, friabiles, tenaces, leves, graves, vel aliæ,  
prout velint, ac quicquid eorum in mundo excogi-  
tari potest, uno verbo ! Quod si quippiam est ani-  
male, tum etiam *in probâ chymica, præcipue aper-  
to igne seu destillatione per se tanquam animale se  
exferat & demonstret, oportet*; adeoque vel *Spiri-  
tum empyreumatico-urinosum*, vel ejusmodi phleg-  
ma, vel *oleum animale fætidum*, aut cum eo adhuc  
*Sal volatile urinosum*, eaque omnia si non simul,  
tamen

tamen 1, vel 2 partes, aut ad minimum saitem vestigium liquoris urinosi vel olei animalis empyreumatici largiatur necesse est; adhuc semel consideratè dico: *Animalia necessariò horum aliquid ostendere ac in aspectum proferre debent*, quod odorem & gustum afficiat, quando ea per ignem tactantur, prout quoque omnia animalia id revera largiuntur, quin & ipsa lapidea, terreaque Ostracodermata hac in proba animalem suam profaciā negare nequeunt. Et sic quoque *putatitii Ambræ globi*, calculos vesicæ Ceti puto, aperte & satis suffcienter per hanc probam demonstrabunt, quod non tantum pure animalis, sed & pure urinosa profaciæ, nempè ex urina Ceti generati sint. Si quis è contra veram ab omnibus visibilibus animalibus partibus depuratam, nec ab animali quodam olim deglutitam, sed optimè puram Ambram gryseam recipit, & destillationem aperto igne eodem modo tractat, eaque quæ prodierunt, examinat, ille ne minimum quidem urinosi, nec olei animalis empyreumatici, nec quicquam animale, sed planè diversa & aliter modificata producta, aliud liquorem, aliud oleum, & aliquid de Sale alio reperiet, prout id posteà ulterius adducturus ac demonstratus sum.

Hoc ergo tanquam infallibile signum & indubia veritas suscipi potest: Simulac in chymica tractatione Ambræ gryseæ, vel minimum substantiæ animalis, sive sit animale oleosum, vel urinoso-salinum aliquid, apparet, aut impetratur, quod hoc nullatenus ab Ambra, tanquam pura Ambra proveniat, sed ab alia quadam, hoc vel illo modo accidentaliter adveniente vel immixta animali re, quippe quæ semper tanquam alienum quid, impurum &

*ad mixtionem Ambræ gryseæ non pertinens, considerari debet; sive ergo sit, quod operatio suscepta fuerit cum Ambra olim deglutita, sive etiam cum non deglutita, in qua tamen rostra avium vel aliæ parvæ animales partes immixta fuerunt.*

Quod autem ejusmodi à piscibus vel aliis animalibus *deglutita* Ambra grysea non quodammodo aliquam alterationem, ad minimum aliqualem maculationem & *animalem inquinationem* perpetua fuerit, vix quisquam negare poterit, sive ea postea vomendo vel laxando rursum ejecta, vel in mortuis piscibus reperta & exempta fuerit; sufficit! Quod aliquo modo à succis animalibus & devoratis cibis *conspurcata*, vel plane cum comedisi piscibus aliisque putrescentibus, & ferè stercus factis cibis digesta, ad minimum infecta, ac coinquinata, per consequens potius deteriorata, quam meliorata sit; unde plerumque multò ingratius olet, quin & nigricantior esse reperitur, imo experientia ipsos etiam incolas docuit, ejusmodi deglutitam antea Ambram statim solo externo aspectu cognoscere, qualēm propterea consequenter quibusdam in locis, ut superius jam dixi, stercus vel excrementum Balænæ appellare soliti sunt.

Et cum utræque ex America transmissæ sèpè memoratae Relationes in totum proveniant principaliter ab ejusmodi personis, *quæ circa mercataram & capturam Cetorum versantur, propriè à pescatoribus, captatoribusque Cetorum*, imo ex parte inde ortæ sint, quod quis audiverit, alterum dixisse; hinc tanto minus ad hoc, tanquam aliquid indubitate certum aut novum de vera origine & Esentia Ambræ gryseæ attendendum erit.

Derelinquo

Derelinquo igitur etiam hanc opinionem, meque jam ad ultimam dispartitionem seu classem, ad eos nempe converto, qui Ambram gryseam pro minerali aliquo habent, vel ejus originem *in Regno minerali* fundant.

In quinque opiniones illi dispesci, & si opus esset, unaquaque earum, in certo sensu sumta, approbari posset; verum cum generales expressiones in historia naturali, Chymia physica, variisque aliis scientiis, modò occasionem ad confusionem, & intellectum amphibolicum suppeditent, hinc semper melius est, ut circa quamvis materiam, quantum equidem fieri potest, *Specialissimum potius & maxime characteristicum* adhibeatur, sicutque mens nostra explicetur.

i. Hugo de Lindschott, Ambram gryseam *Terram esse* perhibet \*, quod si hoc in sensu latiori intelligeret, & ad prima originalia principia physica recurrerent, tum haec opinio locum retinere posset; cum vero per hanc non sufficienter se explicaverit, multò minus plus quam *simplicem* terream Ambræ mixtionem declaraverit, & credibile sit, Lindschottum denominationem illam non in ejusmodi sensu physico posuisse, sed simpliciter Ambram pro *merè terrea substantia* habuisse, hinc non possum non, hanc denominationem & opinionem pro erronea, contraque naturam, experientiam & proprietatis Ambræ gryseæ pugnante, declarare, sicuti etiam cuvis facile notum est, *Terram non tam facilè flammam concipere, nec adeo promptè liquari, ne-*

\* Vid. Klebii Ambræ Historia, p. 19.

*que solutionem cum spiritu vini admittere, ut ali-  
as plures Ambræ grysea proprietates jam præte-  
ream.*

2. Alii quodammodo ad proprietates *liquationis* &  
*inflammabilitatis* Ambræ animum adverterunt, ut  
e. gr. Crato \*, aliique plures, hi propterea Ambram  
*pro Sulphure nativo* & *vero* reputarunt; D<sup>r</sup> Salmon  
Londinensis, ait: esse Sulphur marinum †. Hæc de-  
nominatio jam equidem excusari posset, vocabulum  
*Sulphur tropicè* vel *Synechdochicè*, & in tantum  
intelligeretur aut innueretur, in quantum Ambra  
grysea de principio inflammabili seu sulphureo par-  
ticipat, siquidem etiam non modò veteres, sed &  
adhuc hodiè permulti, omne id quod flammam con-  
cipit, Sulphur denominant, sive sit minerale, vege-  
table, vel animale, oleum, pinguedo, resina, cera,  
pix, balsamus, lignum, axungia, carbones, bitumen,  
spiritus vini, vel quicquid aliud; verum cum &  
hæc generalis denominatio *nihil specifici* exprimat,  
sed tantum occasionem subministret ad diversos con-  
ceptus, simul quoque clarè satis pateat, quod illi  
ipsi, qui Ambram *pro Sulphure nativo* & *vero* ju-  
dicarunt, nullo modo ad principium inflammabile  
in utrisque respexerint, sed quod Ambram *pro com-  
muni naturali, perfecto & vero sulphure* habuerint,  
aliàs non verbis expressis Sulphur nativum & *ve-  
rum*, sed fortè tantum corpus sulphureum, materiam  
sive substantiam Sulphuream appellassent, cum autem  
notorie sit, Ambram gryseam *planè non esse Sulphur  
verum*, inde & hæc opinio non nisi pro falsa & er-

\* In Consiliis à Laur. Scholtzio collect. column. 1093.

† Vide *London Dispensatory*, pag. 398. Edit. Lond. 1696, 8vo.

ronea haberi potest, (1.) Ambra grysea carbonibus candardibus inspergatur, *odor* in examine probetur, an cum odore Sulphuris conveniat? (2.) tentetur Ambra grysea cum Sale alcali fixo, an *hepar Sulphuris, Tartarum vitriolatum* & plura ejusmodi fuppeditet? (3.) An Ambra Regulum Antimonii rursum in *Antimonium crudum* reducat? (4.) An ex Ambra in aqua calcis vivæ, vel lixivio alcalino soluta, fiat *Lac Sulphuris*? (5.) An ex Ambra & Mercurio *cinnabaris* prodeat, aliaque præparata plura quæ alias cum Sulphure vero conficiuntur, cum Ambra grysea quoque parari possint? Omnia hæc frustranea erunt, cunctæque eò tendentes probæ supervacuæ evadent, prout & Libavius Cratoni hac in re jam contradixit.

Tandem quidam rei ipsi proprius accedunt, ita ut plurimi Ambram gryseam non tantum *pro Minerali*, sed etiam pro eo, quale revera est, scilicet pro BITUMINE seu specie quadam bituminis æstima- verint, & adhuc æstiment; sed in certis circumstan- tiis nondum omnes unam eandemque sententiam fo- vere possent, nam

3. Quidam aiunt, Ambram provenire *in forma liquida*.

4. Alii vero *in forma sicca*.

5. Adhuc alii, eam in forma viscosa, sive consi- stentiae mediae, in mare prodire afferunt.

Differunt etiam in his, (a) quod quidam affirment: Ambram gryseam *ex littoribus* sub terra prodire & in mare devolvi, (b) alii vero fatagunt evincere, quod *ex abyssō*, seu potius sub terra fundi maris prodeat in mare.

1.) Illi, qui autumant, Ambram gryseam in principio fuisse fluidam, vel qui, eam *in forma liquida* in mare devenire, existimant, perhibent, Ambram in principio naturâ suâ esse *Bitumen liquidum*, vel *Speciem Naphthæ*, & inter hos recenserit volunt Ebnisina, Simeon Séthi, Nævius, Avicenna, Agricola, Solenander, Bertinus, Libavius, Garcias ab Horto, Hadrianus Toll, Joh. Eusebius Nierenbergius, Franciscus Hernandez, & diversi alii plures, qui omnes statuunt: *Ambram ex manatione fontis bituminosi seu fontis Naphthæ in mare devenire*, & differunt tantum in quibusdam parvis, *caput rei non attingentibus circumstantiis*, e. gr. Avicenna & Psellus volunt, quod *ex Scaturiginibus lateralibus* cum aquis simul in mare profluat; alii contra, inter quos etiam Nicolaus Chevalier, qui Anno 1700 magnum illud Amstelodamense frustum Ambræ descripsit \*, accensendus est, referunt, quod per se *ex fundo maris scaturiat*, & ex Hydrophylaciis Kircherianis ad igne centrali quasi in mare destilletur.

2.) Alii, qui opinionem fovent, quod Ambra *in forma siccæ* deveniat in mare, aiunt, eam esse Succinum quoddam, seu revera *siccum Bitumen*, quod eâdem quoque ratione in mare feratur, ut aliud ordinarium Succinum, seu Ambra citrina. Andreas Cæsalpinus eam quidem appellat Gemmam, interim vero collocat sub species Succini. Supra citatus D<sup>n</sup> Oelven, qui Ambram gryseam pro Metcoro venditavit, in suo Tractatu nihilominus certo loco ait †: Succinum magnam possidere affinitatem cum

\* Description de la Piece d' Ambre grise pag. 54, &c.

† Der Monathlichen curießen Natur-Kunst-Staats-und Sitten-Præsenten, Zweytes Stuck im Februar. 1708 pag. 56.

Ambra grysea, hoc tamen subesse discrimen, quod Ambra grysea in calidis regionibus, in quibus omnes flores & aromata summam sui generis perfectionem & fragrantissimum odorem nanciscerentur ; Ambra citrina e contra tantum in rigidis Septentrionalibus regionibus, & longe frigidiori Mari Baltico, reperiatur : proinde quoque hæc multò crassioris atque durioris substantiæ sit. Denique experientissimus pariter ac eruditissimus Dr Henckelius \* ait ; Ambram gryseam, Succinum & Asphaltum, seu Succinum Orientale, Succinum vulgare, & Succinum nigrum planè non in principiis essentialibus, sed tantum *in quibusdam accidentalibus & gradibus* inter se diffrerent, quæ ultima sententia in primis cum experientia quoque convenit.

3 ) Illi denique, qui Ambram gryseam *in forma viscosa consistentiae mediae*, adeoque non penitus liquidâ, nec planè siccâ, sed mediâ, & quidem *viscosâ* formâ consistentiâque in mare devenire putant, dicunt, quod ea primum tanquam mollis pix, vel ad similitudinem bolbiti in vel iuper fundo maris reperiatur, ac sensim sensimque indurescat. Helbigius idcirco asserit : Ambra nec est Gumini, nec Resina, neque stercus avium, neque placenta apium, sed verus in fundo maris, picis adinstar jacens *Viscus*, & quasi ut pix marina crescens, id quod mercator quidam ex Batavia, qui oculis suis illud aspexit, ipsi hoc modo scripsisset †. Supra memoratus celebris Rumpfius in literis ad Ten Rhyne datis, hoc certum est, inquit, nec aliud quicquam novi, quam veterem meam opinionem de origine

\* Vide Bethesda portuosa, pag. 74.

† Ephem. Nat. Cur. Decur. i. Ann. IX. ex X. pag. 459.

Ambræ gryſæ proferre, nempe quod sit pinguedo quædam, ex fundo maris proveniens, in principio quidem mollis & viscida, quæ posteà verò à falso-dine maris indureſcat \*. Aldrovandus, postquam variæ opinioneſ adduxit, his deinceps concludit verbis: Sed haſ distinctiones nullius esse valoris judicamus, quandoquidem non pſcium vel Cetorum extremitum, ſed Bituminis genus eſſe aſſeruimus †.

Borellus || equidem objectionem quandam adhuc formare conatur, quod Ambra gryſea non ſit Bitumen, obtendens: Bitumina fætere, & ad internum uſum inepta eſſe; verum in ejusmodi caſib⁹ non ſemper à genere ad species, vel à ſpecie ad genus concludere poſſuimus, prout & vel ſolum Succinum vulgare contrarium, aut quod Borelli objecțio de Ambra insufficiens ſit, demonstrat, hoc nempe Succinum hodiè ab oīnnibus hominibus pro bitumine agnoscitur, attamen verò nullo modo fætet, ſed copioſe ſatis & ſecurè pro uſu interno adhibetur, ut taceam, quæ adducuntur in Actis Eruditor. Lipsiens. An. 1684, de quadam in Polonia exiſtente Scaturigne ſeu fonte, qui bitumen liquidum ſuaveolens medicamentoſum & alimentoſum largitur, odoremque fragrantiffimum & balsamicum poſſidet; nec pluribus attingam oleum montis Zibini Francisci Ariosti, de quo Oligerus Jacobæus mentionem facit.

Nicolaus Monardes jam dixit \*\* ; circa originem Ambræ variae circumferuntur opinioneſ, ſed veriſſima hæc eſt, quod ea ſit genus bituminis, & quideſ ex

\* Valentini Ost-Indische ſendſchreiben, pag. 50.

† Mus. Metallic. Lib. III. pag. 432.

|| Loco citat. Observationum,

\*\* De Simpl. Medicam, pag. 12.

fonte manans, quod, simul ac aerem sentit, statim indurescit, eodem modō, ut permulta alia sub aqua maris existentia concreta, ut corallia, &c. etiam mollia sunt.

Joh. Faber Lyncæus, hoc igitur certissimum est, inquit, Ambram non esse aliud, quam *Bitumen*\*.

Ut dicta in summam contraham, plerique Scriptores rerum naturalium non tantum in hoc conveniunt 1.) quod, dum de Bituminibus agunt, afferant, dari bitumina tam liquida quam concerta, 2.) omnia bitumina ad mineralia referenda esse, 3.) quod Bitumen siccum nihil aliud, quam pinguedo terræ tenax, facileque urens, & 4.) Ambra grysea iisdem proprietatis dotata, consequenter absque ulla contradictione non solum *minerale*, sed in suo etiam genere & specie Bitumen sit.

Quamvis igitur, ratione *consistentiae originalis*, dum alter Ambram sub forma solida, alter sub forma viscida & tenaci, tertius sub forma planè liquida in mare devenire affirmat, adhuc nonnulla addi possint, attamen hoc apprimè necessarium esse, minimè video, siquidem *tres hæ opiniones*, tanquam primariae ex omnibus hactenus addutis, facile uniri, atque ita inter se combinari queunt, ut certo respectu omnes tres rectè sentiant.

1. Nemo fortè hominum, qui solidi quippiam, de origine multorum subterraneorum intelligit, negabit, quod omnia Bitumina in principio fuerint *liquida*, licet etiam in forma liquida non in mare devenirent.

\* Joh. Fab. Lyncæi Exposit. in Rech. pag. 565.

2. Necessum est, ut tam Ambra grysea, quam Ambra citrina in principio, *si non planè liquida*, necessariò tamen, per aliquod tempus, in forma *viscosa*, vel Ambra grysea etiam, dum è mari ad littus ejicitur, saltem adhuc ejusmodi texturæ fuerit, ut si forte in mari jam indurata fuisset, à sole facile emolliiri potuerit, alias enim nec rostellà avium, conchæ, testæ, earum particulæ, nec aliæ quisquiliæ ei inhærere possent, prout tamen varia ejusmodi in Ambra grysea, & sic quoque, uti satis constat, tam multivaria insecta, aliæque res in Ambra citrina, reipsâ inveniuntur.

3. Quod verò demum Ambra grysea plane *arida*, vel in forma *secunda*, quamvis tanquam impuruin & quodammodo mollius Succinum, interim tamen ut verum *Bitumen* appareat, hoc unicuique satis evidens ac præstò est.

De hac materia notatu digna sunt verba Francisci Hernandez, inquietis: Ambra grysea ex quibuslam fontibus Naphthæ in mare provenit, & procellosa tempestate à vento ac fluctibus ad oras littoris ejicitur, est substantia *odoratissima inflammabilis* seu ardens, *nunc durior, nunc mollior, nunc friabilis, nunc flexilis*, ita ut quodammodo inter digitos & dentes, instar ceræ flecti vel extendi queat, &c.

Ego proinde, quantum perspicere possum, credo & censeo.

(1.) Ambram gryseam identidem, prout Ambra citrina, ex terra in mare devenire.

(2.) Eam non sicut Naphtha vel Petroleum, sed jam sub crassiori, flexili, & probabiliter sèpè adhuc viscida & tenaci consistentia in mare provenire.

(3.) Quod sub prima concretione vel formatione Ambræ gryseæ bitumen liquidum vel Species Naphthæ concurrat, & mixtione simul constituat.

(4.) Quod magna frusta simul quidem generari possint, ut plurimum tamen in principio tantum paucum quoddam simul oriatur, cui frustulo rursus novum quoddam veluti stratum superaccrescat, vel sese apponat, adeoque hoc modo per plura & recentiora semper strata Ambra grysea nunc in rotunditate, nunc in longitudine, vel etiam in planè inæquali forma augeatur & increscat, sub qua formatione semper adhuc aliquantum mollis sit, unde varia res ei agglutinari possunt, interim de tempore ad tempus sensim sensimque magis induretur, circiter usque ad consistentiam ceræ.

Et cum pleraque Ambra grysea ita *sub forma frutorum vel corticum* appareat, hinc fortè hæc circumstantia eos, qui in America degunt, seduxit, ut sibi imaginarentur, quod eodem modo, ut lapis Bezoardicus, vel calculus generetur, cum tamen considerare potuissent, diversa alia corpora subterranea plura, tam bituminosa, ut carbones fossiles, mineræ aluminosæ, &c. quam etiam alia mineralia, ut Talcum, Ardesia, Glacies Mariæ, &c. *eādem sub figurā*, ac calculi animales, *per frata* oriri.

Cæterūm nequidem adeo necessarium existimo, primam originem Ambræ gryseæ tam profundè rimari, vel *primordiale* ejus generationem tam accuratè velle perscrutari. Quis enim indubitatè certò explicare potest, qua ratione vilius illud & in majori quantitate occurrens vulgare Succinum oriatur? Quomodo metalla, semimetalla, gemmæ, fluores, atque innumera alia concreta mineralia generentur? de pau-

cissimis mixtis & compositis subterraneis certum quid novimus, *quo fiant modo*, licet hoc & illud conjiciamus, imo, quamvis de permultis scire & experiri possumus, *quid sint*. Ut mihi videtur, relatio ista vel notitia, quo aut quali modo illæ à Deo solo creatæ res factæ sint, vel quomodo eæ adhuc dum fiant & generentur, nobis non adeò necessaria nec utilis est, nequaquam enim nos miseri homines ejusmodi, ex incomprehensibili Supremi omnipotentia, orientes creaturem propterea imitari possemus; sed eò plene contenti esse possumus, si modò rectè novimus, *quid sint hæc naturalia?* nimirum (1.) ex quo naturæ regno ista, quam ad manus habemus, Dei creatura proveniat, (2.) quidque ea sit, non tantum nomine tenus, vel secundum nudum aspectum, sed primariò, *secundum internam ipsius mixtionem, affectionem & indolem*, quæ posterior cognitio ex se ipso priorem manifestat, ita ut saltem Chymicus sæpè non opus habeat querere vel nosse, an Subjectum, quod ipsi ad manus est, vegetabile, vel minerale, vel animale sit? idque tantò minus, quia alijs ipsi fortassè planè falsam, atque cum natura & proprietatibus Subjecti nullatenus convenientem responsonem vel relationem (ut e. gr. de Ambra grysea) dare posset. Sed Chymicus ea tantum instrumentis suis examinet, vel consideratò per Chymiam evolvat, tum ipsi non nudè dubiosa, sed planè indubia, disputationum non indigens, irrefutabilis ac vera responsio in manus & oculos incurret. Hoc igitur verum fundamentum est, cui inniti, & per quod omnes dubias vel penitus erroneas, licet etiam doctè & probabiliter excogitatas, vel ornatissimè ac prolixè descriptas, impressas, aut æri prorsus incisas præfigurationes & opinones, si nempè

nempè experientiæ Chymico-physicæ, tanquam *sin-*  
*cerissimo & infallibili lapidi lydio mixtorum na-*  
*turalium non respondeant, oppugnare, iisque liberè*  
*contradicere possumus.*

Ut finiam, non possum non mirari, quod Paulus Hermannus, in materia medica satis expertus, ne verbum quidem de Ambra grysea in Cynosura sua adduxerit, licet, eam præteriisse, satius exerit, quam si ridicula talia proposuisset, ut hoc in casu Leonhard Fuchsius \* fecit, quippe qui, nullam in orbe *Ambram* nativam dari, sed *omnem factitiam esse*, jucudicavit ; Sepultam vero mittamus simplicissimam hanc opinionem cum suo inventore, & contra ulterius consideremus, unde Ambra apportetur, & qua ratione ordinariò se in commercio visui nostro exponat ?

Ambra grysea maxima ex parte apportatur ex India Orientali, ex & circa Insulam Madagascar, ex Insulis Moluccensibus Mauritii ad Neykotarres, Insulis Occidentalibus Sumatræ, Insula Borneo, & Caep Commoriis ad Malabar, ex littoribus Æthiopicis, quippe quæ à Sofala usque ad Brana perquam ambrifera esse prohibentur. Et sic aliæ quoque regiones ac loca in mundo reperiuntur, siquidem Ambra in mari longè admodum propelli, adeoque centenis in locis, regionibus & situationibus littoris maris ejici, vel & aliis modis, ut superius adduximus, offendit potest.

Consideratu dignum est, quod preciosum hoc bitumen non raro *in permagnis frustis seu massis* reperiatur. Non quidem adducam, quæ Faber Lyncæus ex Gregorio de Bolivar refert, interdum frusta

\* Fuchsius de Compos. Medicamentor. Libr. I. pag. 211.

Ambræ 100,000 libras ponderantia dari, multomini-  
nus, quæ in Garcia ab Horto exstant, totas Insulas  
Ambræ grysea plenas existere, & in regione istarum  
Insularum totum maris fundum Ambræ præditum esse;  
omnium minimè ad ea animum reflectam, quæ qui-  
dam natione Gallus, nomine Isaac Vigny, qui per  
aliquod tempus peregrinatus est, refert, se Regionem  
scire, quæ adeò dives sit Ambræ, ut mille naves eà  
solâ onerari possent, de omnibus his, inquam, nimi-  
um excedentibus hyperbolis, nihil quicquam addu-  
cam, siquidem ea non parum fabulosa, & ultimum  
mihi magis quam Vasconicum videatur, sed sequentia  
tantum exempla, tanquam veritates considerari, vel  
saltum hoc exinde certum reddi potest, quod ingen-  
tia utique Ambræ frusta dentur.

Anno 1555, in Promontorio Comorim frustum  
Ambræ gryseæ circiter 3000 librarum repertum est,  
quod tum temporis pro Asphaltô seu communi Bitu-  
mine vendiderunt. Joh. Hugo de Lindschot ait, circa  
hoc Promontorium quondam frustum 30 Quintalium,  
ut vocant, id quod circi; ter 150 Centenarios pondere  
æquat, deprehensum fuisse. Monardes & Franciscus  
Hernandez mentionem faciunt de frustis 100 libra-  
rum. Garcias ab Horto etiam frusta Ambræ adducit,  
quæ magnitudinem viri adæquarunt, ulterius frustum,  
quod 90 manus latas in longitudine, & 18 manus  
latas in latitudine complexum fuit. Montanus me-  
morat de frusto, quod 130 libras ponderavit, & à  
Rege in Satsuma Anno 1659, conservatum fuit. An-  
no 1666, circa Promontorium viride ad fluvium  
Gambi, frustum 80 librarum ejectum & in Hollan-  
diam asportatum est. Anno 1691, Amstelodami  
fuit massa 42 librarum. Daniel de Bruel, circa  
Malaccam

Malaccam frustum 33 librarum repertum fuisse, affirmat. Romæ frustum, magnitudine caput viri adæquans, est Similiter etiam Romæ & in Loretto, variisque aliis Italiæ locis permulta preciosa & artificiosè fabrefacta ex Ambra grysea visuntur, quæ, hæc ex permagnis frustis elaborata esse, satis superque demonstrant.

Ante dictus Vigny non parvum frustum habuit, secumque ex India asportavit, siquidem 1300 libras Sterl. pro eo accepit. Notus adeò Kæmpferus ipse testis est, suo tempore in Japonensi Provincia Kinokuni frustum Ambræ repertum fuisse, quod 100 Catti, seu 130 libras Hollandicas pondere superaverit.

Frates germani Joh. Andreas & Marcus Matsperger Augustæ vindelicorum à Roberto Struzzi Venetiis Anno 1613, frustum coëmerunt, 48 libras & 8 uncias ponderans.

Et quid opus est plura conquirere, recentissimum, optimum & maximè convincens exemplum habemus in magno illo frusto Ambræ gryseæ, quod Societas Indiæ Orientalis in Hollandia, Anno 1693, à Rege Tidori pro 11,000 thaleris coemit, cui primum forma testudinis, ac pondus 182 librarum fuit, & crassitie 5 pedes & 8 pollices, longitudine vero 2 pedes & 2 pollices adæquavit: Ante memoratus Nicolaus Chevalier prolixè illud in exiguo Tractatu Anno 1700. Amstelodami impresso, descriptit, & varias icones æri incisas, prout hoc frustum ab omnibus lateribus apparuerat, addidit. Frustum hoc Amstelodami per multos annos custoditum, & à tot centenis, si non aliquot millibus hominum tanquam raritas singularis visitatum, tandem

dem in frusta confractum & auctionis lege venditum fuit, ita ut permulti eorum, qui adhuc in vivis sunt, hujus rei oculati testes esse possint, & per consequens nemo de hac circumstantia, quod satis magna frusta Ambræ reperiantur, dubitare debeat; hac occasione semel adhuc quæro, qua ratione Americani Domini referentes cum sua cystide hic convenient, si de tam ingentibus Ambræ gryseaæ frustis auditu vel lectu quicquam percipiunt?

*Continuabitur hac Dissertatio in N° seq.*

---

II. *An Account of a new Engine for raising Water, in which Horses or other Animals draw without any loss of Power (which has never yet been practised) and how the Strokes of the Pistons may be made of any Length, to prevent the loss of Water, by the too frequent opening of Valves, with many other Advantages altogether new; the Model of which was shewn to the Royal Society on the 28th of November, by Walter Churchman, the Inventor of it.*

*The Description of this Engine is given on the Sides of the Plate, where the Engine itself is likewise delineated. Vide TAB.*

**T**H E Animals all draw horizontally, and in a streight Line, and at right Angles, whereby they exert their utmost Force. — By these Advantages